

quadraginta sold. par. pro quolibet, tam in non veniendo ad dictum labore[r]ium ad dictum sonum quam etiam in recedendo de dicto laborerio ante dictum sonum tintanabuli. ¶ Et non recedere vel exire extra districtum Tergesti causa laborandi asque licentia dominii, etiam pena centum sold. qualibet vice. ¶ Et cum requisiti fuerint ab aliqua persona in suo laborerio, non recusare ire et illi qui primo eos requisiverit laborare, et non cessare facere primum opus quod inceperint pro alieno. ¶ Item ipsi muratores nec aliqua alia persona audeant descoperire et facere descoperiri aliquem tectum alicuius domus qui sit in comedio con aliqua persona, nec deruinare aut disterpere // aliquem murum positum super stratis publicis vel vicinitatis seu consortium, sine presentia domini vel domine domus vel procuratoris comunis, etiam pena decem libr. par. pro quolibet et qualibet persona contrafatiente. ¶ Item recipere pro eorum labore a festo sancti Michaelis usque ad primum diem mensis marcii in die sold. quinque par. cum licofo et suis expensis, et a primo die mensis marcii in antea usque ad festum sancti Michaelis in die septem sold. cum licofo et expensis. ¶ Item recipere cum expensis domini a festo sancti Michaelis usque ad primum diem marcii tres sold. cum licofo, et a primo die mensis marcii usque ad sanctum Micha[e]lem cum expenssis domini in die quinque sold. cum licofo, et non plus recipere quam dictum est, etiam pena decem sold. par. pro quolibet et satisfatiendi superfluum domino laborerii quod acceperit. ¶ Et quod dominium Tergesti inquirere debeat de predictis ab hiis quibus laboraverunt, sub pena centum sold. pro quolibet dominio, et credatur sacramento illorum quibus laboraverint.

30 Cap. LVII. De forma sacramenti marangonum.

Iurabunt marangoni sive magistri lig[n]aminum eorum artem bona fide et sine fraude legaliter exercere, et ire in laborerio pro quo fuerint requisiti quam citius poterint, et ipsum laborerium facere et expedire, et venire in dicto laborerio et stare in mane usque ad sero, salvo tenpore quo irent //